

Johann Salomo Semler Theodor Jakob Ditmar

Dissertatio Theologica De Imagine Divina In Homine Per Lapsum Perdita

Halae Magdeburgicae: Hendel, [1757]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn844225452>

Druck Freier  Zugang





a. B.

48. C. 2.

57

275
Fa - 1092 (57.)

19 35
2 36
3 37
4
52
6
7
8 25
9 26
10 27
11
12 28
13 29
14 30
15 31
16 32
17
18 34

DISSERTATIO THEOLOGICA
DE
IMAGINE DIVINA IN HOMINE
PER LAPSUM PERDITA,

QVAM
P R A E S I D E
VIRO SVMMÆ REVERENDO, AMPLISSIMO,
DOCTISSIMO, SPECTATISSIMO
IOANNE SALOM. SEMLER,
S. S. THEOLOGIAE DOCTORE, EIVSDEM PRO-
FESSORE PVBLICO ORDINARIO,

PRAECEPTORE AC FAVTORE
PIA MENTË COLENDO

IN REGIA FRIDERICIANA
AD DIEM SEPTEMBR. MDCCLVII.
H. L. Q. C.

PLACIDO ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTET

AVCTOR
THEODORVS IACOBVS DITMAR,
BEROLINENSIS.



HALAE MAGDEBVRGICAE
LITTERIS HENDELIANIS.

DISERTI INCLYTAE
SEDIS REGIAE PRAESICAE
PROCELIBVS PATRIBVS PATRIAE OPTIMIS
PER BARRISTRA
PERILLVSTRI, MAGNIFICO, EXCELLENTISSIMO
AMPLISSIMO, CONSULTISSIMO
P R A E S I D I
IOHANNES SALOM. SEMLER
VIRIS
ILLVSTRIBVS, EXCELLENTISSIMIS
P. R. CONSULTISSIMIS, PRAEDENTISSIMIS
CONSVLIBVS.
H. J. C. G.
NEC NON
VIRIS
AMPLISSIMIS, CONSULTISSIMIS
SPECTATISSIMIS
SYNDICIS.

INCLYTAE
SEDIS REGIAE PRVSSICAE
PROCERIBVS, PATRIBVS PATRIAE OPTIMIS,

VIRO
PERILLVSTRI, MAGNIFICO, EXCELLENTISSIMO
AMPLISSIMO, CONSVLTISSIMO

P R A E S I D I,

VIRIS
ILLVSTRIBVS, EXCELLENTISSIMIS.
CONSVLTISSIMIS, PRVDENTISSIMIS

C O N S V L I B V S,

NEC NON
VIRIS
AMPLISSIMIS, CONSVLTISSIMIS
SPECTATISSIMIS

S Y N D I C I S,

19 35
20 36
21 37
22
23
24
25
26
27
28
29
30
31
32
33
34

VIRIS

PERILLI VSTRI MAGNIFICO EXCELLENTISSIMIS

RELIQVISOVE MEMBRIS DIGNISSIMIS

RES CIVITATVM BEROLINENSIVM GERENTIBVS,

PATRIBVS CONSCRIPTIS

DE RE ET PVBLICA ET LITERARIA

MERITISSIMIS

VIRIS

PATRONIS AC FAVTORIBVS

OMNI PIETATIS CVLTV DEVENERANDIS

omina tantorum Virorum opu-

culo in orbem proferere co-

stanti proferere, an iuramentum

SI VOS PATRES CON-

SCRIPTI, iudicatis. ^{SACRAM.} illis indulgetis, deestione

hujus actionis hic opus non est. Specimina

Janne

X 3



VIRIS

PERILLVSTRI, MAGNIFICO, EXCELLENTISSIMIS,
CONSULTISSIMIS, SPECTATISSIMIS

S. P. D.
PATRIBVS CONSCRIPTIS

THEOD. IAC. DITMAR.

PATRONIS AC FAVORIBVS



*N*omina tantorum Virorum opu-
sculo in orbem prorepere co-
nanti praefigere, an juvenem
deceat? -- -- Si VOS, PATRES CON-
SCRIPTI, audaciae meae indulgetis, decisione
hujus quaestionis hic opus non est. Specimina

X 3

sane

19

20

21

22

23

24

25

26

27

28

29

30

15

16

17

18

35

36

37

38

39

40

41

42

43

44

45

46

47

48

49

50

51

sane multa favoris erga me VESTRI in laudem
proferre possim, quae aditum ad VOS faustum
praesenti occasione sperare faciunt; haec sunt,
quae gratias a me submissas de jure semper po-
stulabant, nullum autem tempus gratiarum ac-
tioni magis peridoneum esse credidi, quam hoc,
quo publice VOBIS gratam mentem testari, si-
mulque VESTRUM erga me favorem celebrare
possim, licet isto plane opus non esset, dum
VESTRAE de Republica merita, VESTER
favor erga unumquemque, VESTER ardor
pro REGE Nostro Clementissimo, & ut uno
verbo dicam, VESTRAE praecipua animi
virtutes fere unicuique jam notae sint. Ex-
ploratum igitur habeo, quod VOS, PATRES
CONSCRIPTI in hac dedicatione nulla blan-
diloquia a me expectaturi, sed ea potius sum-
ma cum offensione improbaturi sitis. Interea
laus & gloria, quae Viris publice habemus, qui
suas

suas excelsas animi dotes & virtutes praecipue
bono publico in amplissimis dignitatis gradi-
bus vovent, nil nisi praemium justissimum est,
quod sana ratio & sinceritas a nobis exposcit,
& S. Religio perfecte approbat. Hec fuit ra-
tio, VOBIS, PATRES CONSCRIPTI,
hasce studiorum primitias, quas VOBIS debeo,
dicandi, simulque VOBIS publice gratias sub-
missas agendi pro VESTRO favore, quo Pa-
trem meum & me semper prosequuti fuistis.
VESTRO jam judicio sapientissimo me submit-
to, utrum VESTRO amore me dignum praesti-
terim, nec ne? Nil nisi hocce VOS submis-
se rogo, ut mihi favere pergatis, ita ut fateri
me porro oporteat, me VOBIS esse obstrictis-
simum. Spes omnis mea consistit in eo, quod
VOBIS aliquando omnes meos prosperos succes-
sus debiturus sim; si enim VOS me favore VE-
STRO ulterius prosequunturi estis, sane eo ipso
Deus


Deus meae jam prospexit fortunæ. Immortalem Deum humili & submisso animo precor, ut vitam omnibus bonis adimpletam VOBIS in posterum largiatur, & ut sedes illa Regia, cujus defensores & tutores estis, diu adhuc VESTRA præsentia & providentia gaudere possit. Valete jam, PATRES CONSCRIPTI, & hoc meæ observantiæ VOBIS debitæ pignus serena fronte accipite, atque de VESTRI favoris perpetuitate me non dubitare finite. Iterum Valete. Scrib. Athenis Salicis,

d. XX. Septembris,

MDCCCLVII.



§. I.



§. I.



Imago in genere abstractivae sumpta, est similitudo entis unius cum altero eo ipsi sine data, ut alterum representet; sicut imago concretivae sumpta dicitur ens alteri simile eo sine factum, ut alterum representet. Ergo imago divina in homine erit similitudo hominis cum Deo ipsi a Deo eo sine data, ut representet Deum. Sed unum representat alterum: quando ex consideratione unius notio de altero formari potest. Ergo Deus hominem eo sine sibi similem creavit, ut homo ex consideratione sui ipsius notionem sibi de Deo formare posset.

§. II.

Finis Dei in creando hominem, erat manifestatio perfectionum suarum, cultusque suus inde resultans. (per Theol.) Consistit autem cultus Dei in actionibus ex motivo perfectionum divinarum susceptis. Ergo supponit ille cultus cognitionem Dei summarumque ipsius perfectionum, aequae ac inclinationem voluntatis ad cultum istum divinum. Cognitionis autem sine intellectu locum habere nequit, sicuti inclinatio voluntatis supponit voluntatem liberam. Ergo si Deus totum universum, hinc & hominem ad manifestandam gloriam suam, cultumque suum hinc resultantem

A

produ-

producere voluit: sequitur, opus fuisse, ut Deus hominem cum intellectu & voluntate libera crearet.

Schol. Intellectus latius dicitur est facultas aliquid cognoscendi. Sicuti igitur ad cultum Dei actualem cognitio de Deo actualis requiritur, ita etiam ad cognitionem de Deo actualem facultas cognoscendi requiritur, quia illa hanc supponit. Pariter cum cultus Dei consistat in actionibus ex motivo perfectionum divinarum susceptis, actiones autem istæ, quæ ex motivo suscipiuntur, actiones liberæ vocentur, quæ facultatem libere appetendi supponunt: sequitur, illum, qui Deum colere debeat, intellectum & voluntate libera gaudere debere.

§. III.

Deus vult omnium suarum creaturarum felicitatem & perfectionem ipsis possibilem, quod patet ex bonitate Dei, & ipsa testatur experientia, creaturas racionales ope actionum suarum liberarum suam aliorumque perfectionem promovere posse. Divinæ igitur voluntati conveniens est, ut quælibet creatura id faciat, quod ad suam aliorumque perfectionem promovendam tendat, hinc Deus creaturas racionales ita cum mundo connexit, ut quævis sine impedimento suam & aliorum perfectionem promovere posset, & ut per mutationes suas in mundo producendas quævis continuo ad ultteriores perfectiones procedere posset. Patet ergo Dei finem in creando hominem præter cultum divinum etiam hunc esse, ut homo suis actionibus liberis suam aliorumque perfectionem promoveat.

§. IV.

Quocumque modo homo pro fine divino creandus erat, eodem eum creavit Deus actu; nam Deus ens sapientissimum ens quodlibet fini suo convenienter fecit. Ergo Deus hominem præditum intellectu & voluntate libera saltim pro facultatibus sumtis creavit (§. 2.); sed homo creandus erat ita, ut Deum recte colat (§. 2.) suamque & aliorum perfectionem promoveat (§. 3.) & quidem actu, nam Deus semper vult bonum i. e. fini conveniens. Ergo Deus hominem non solum ita creavit, ut ipsum recte colere, suamque & aliorum perfectionem promovere posset, sed etiam ita,

ita, ut ipsum colat actu, perfectionemque istam promoveat actu. Et dum prius involvit intellectum & voluntatem liberam pro facultatibus sumta, (§. 2. Schol.) ira posterius requirit cognitionem actualem earum rerum, quæ ad finem divinum tendunt, & inclinationes voluntatis actuales fini divino conformes. Dum igitur homo pro fine divino creandus erat, ut ipsum actu colat, suamque & aliorum perfectionem actu promoveat, & Deus ens quodlibet fini suo convenienter facit, sequitur, Deum hominem cum cognitione actuali & inclinatione voluntatis actuali fini divino convenienter creasse.

§. V.

Sed Deus, dum hominem, ut ipsum colat, creavit, (§. 2.) non cultum qualemcumque postulat, sed summum & exactissimum. Summum, quia alius divinis perfectionibus infinitis non esset conveniens, & exactissimum, quia voluntas divina sese semper ad omne bonum inclinat. Cum autem homo creatura finita, Deum ens infinitum nunquam plane comprehendere & cognoscere potest, etiam hominibus impossibile est, Deum tam summe & exactissime colere, quam perfectionibus suis infinitis esset conveniens. Ergo Deus, qui impossibilia nunquam appetere potest, vult, ut tantum boni ab homine præstetur, quantum ab illo ullo modo præstari potest, & hinc, ut homo ipsum cognoscat & colat, prouti pro natura sua finita valeat, i. e. summo ipsi possibili gradu. Eodem modo, dum Deus semper omne bonum appetit, etiam hominum perfectionem summam limitationi ipsorum convenientem vult; Ergo & Deus serio vult, ut homines suam aliorumque perfectionem summo ipsis possibili gradu promoveant (§. 4. 3.).

§. VI.

Sicuti autem ad cultum divinum actualem, & ad promovendam hominum perfectionem actualem, cognitio actualis & inclinatio voluntatis actualis requiritur, (§. 4.) sic ad illum finem divinum obtinendum summo hominibus possibili gradu (§. 5.) necessario cognitio distincta requiritur, quia sine cognitione distincta homo Deum non summe & exactissime colere posset, bonum a malo, &

melius a minori bono non sufficienter distinguere, nec melius minori bono & malo preferre posset, quod tamen ad cultum summum & exactissimum necessario requiritur. Ergo si Deus serio bonum appetit, & serio vult, ut finis ipsius obtineatur, sequitur, Deum hominem cum cognitione actuali distincta creare debuisse, imo actu ita creasse, quia omne ens fini suo convenienter facit.

§. VII.

Omnis actio conatum agendi supponit, per principia Metaphysica. Quoniam igitur homines actiones producere debent sc. Deum colendi, suamque & aliorum perfectionem promovendi (§. 2. 3.) etiam conatu agendi instructi esse debent. Sed conatus agendi in genere dicitur vis, sicut in sensu morali conatus agendi bonum dicitur vis ad bonum. Hinc cum homo Deum colere suamque & aliorum perfectionem promovere debebat, etiam necesse erat, ut homo vires a Deo reciperet, quibus finis ipsius posset obtineri, sed quia Deus vult, ut homines fini ipsius convenienter agant actu (§. 4.) & quidem summo ipsis possibili gradu (§. 5.) ad quod vires sufficientes requiruntur, etiam necesse erat, ut homo a Deo vires sufficientes reciperet, ad tales actiones producendas, prouti cultus divinus, hominumque perfectio promovenda requireret, & ut istæ vires ad has actiones sufficienter essent directæ, ita ut homines potius has quam oppositas actiones producerent, i. e. ut homines motivis efficacissimis essent instructi ad tales actiones producendas, quæ ad finem divinum tenderent, ex quo cognitio vivida oritur.

§. VIII.

Experientia ipsa testatur, hominem suam felicitatem sine impedimento conservare & promovere non posse, nisi officiis suis satisfaciatur. Officiis autem satisfacere nequit, nisi objecta, erga quæ officia directa sunt, distincte cognoscat, imo nisi tali cognitione gaudeat, quæ ipsum ad istas actiones producendas sufficienter commoveat, ipsique motiva efficacissima præbeat, i. e. nisi vivida cognitione instructus sit. Summum autem officium, & summam hominum lex est finis Dei, quem in creando hominem habuit;

patet

patet ergo, hominem cognitione actuali, distincta & vivida gaudere debere, si fini divino convenienter agere debeat, & quia Deus omne-ens fini convenienter facit, hominem prater cognitionem actualem distinctam, etiam cum vivida esse creatum.

§. IX.

Talis erat hominum cognitio formaliter spectata in statu integritatis, nempe distincta & vivida, hominibus necessaria, si finis divinus obtinendus erat. Quid autem cognitio materialiter spectata involvat, hoc patet ex fine divino. Nam si homo Deum colere debet, cognitione Dei ipsiusque perfectionum gaudeat necesse est (§. 2.) quia sine cognitione de Deo, cultus Dei locum habere nequit. Et quia cognitio hominum actualis (§. 4.) distincta (§. 6.) & vivida (§. 8.) esse debebat, & Deus serio vult, ut finis ipsius obtineatur (§. 5.) homo etiam cum cognitione de Deo, infinitisque ipsius perfectionibus actuali, distincta & vivida creatus est, ergo cum viribus eas cognoscendi sufficientibus (§. 7.) ita, ut homo hanc cognitionem sine impedimento acquirere & semper amplificare posset.

§. X.

Homo Deum colere, suamque & aliorum perfectionem promovere debet (§. 2. 3.) ergo hic finis divinus homini erat regula actionum suarum, secundum quam ille actiones suas instituere debebat, i. e. hæc ipsi erat lex divina, ut actiones suas ex motivo perfectionum divinarum susciperet, seu ut perfectionibus divinis convenienter ageret. Dum igitur perfectiones divinæ homini distincte & vivide cognitæ erant (§. 9.) ita ut cognitio sua motivis efficacissimis gauderet: etiam homo leges divinas distincte & vivide cognovit; hinc & bonum & malum. Nam bonum est, quod fini divino conveniens est, finis Dei autem erat, ut homo perfectionibus divinis convenienter ageret, seu ut homo leges divinas observaret. Si igitur homo leges divinas distincte & vivide cognovit, ille etiam bonum, & quod illi adversatur, malum distincte & vivide cognovit (§. 4.). Ergo & homo a Deo viribus sufficientibus instructus fuit tam leges divinas cognoscendi, quam leges speciales, sub generalioribus contentas derivandi (§. 7.).

§. XI.

Pariter homo suam aliorumque perfectionem promovere debet (§. 3.) ad quod necessario requiritur cognitio sui ipsius, aliarumque rerum, æque ac cognitio perfectionum humanarum, porro cognitio modi, quo se aliosque perfectiores homo reddere potest, ergo cognitio status sui externi & interni, sine qua hominum perfectio conservanda & promovenda non est. Deus autem cum ens quodlibet fini suo convenienter faciat: sequitur, hominem a Deo cum cognitione sui ipsius aliarumque rerum fuisse creatum. Sed homo semet ipsum aliosque perfectiores reddere debet summo ipsi possibili gradu (§. 5.) id quod sine cognitione distincta & vivida fieri nequit (§. 6. 8.). Ergo homo etiam a Deo cognitione sui ipsius aliarumque extra se rerum actuali distincta & vivida instructus est (§. 7.).

Schol. Ne dicamus de cognitione mundi ad cultum divinum necessaria, nam illa cognitio sane præbet motiva efficacissima ad Deum colendum, perfectionesque divinas manifestandas (§. 7. 9.).

§. XII.

Per se patet, hanc cognitionem hominis de Deo, divinisque ipsius perfectionibus, de lege divina hinc & bono & malo, pariter ac de se ipso aliisque extra se rebus distinctam & vividam homini non fuisse essentialem; sed illam ipsi tantum accidentaliter comperiisse. Si enim homini fuisset essentialis, etiam omnes homines nostris temporibus eadem gauderent, necesse esset: quod contra experientiam; essentialia enim nullo modo ab ente abesse possunt. Dum igitur hæc cognitio formaliter & materialiter spectata homini tantum accidentaliter fuit, & Deus cum illa hominem creavit; per se tamen patet, hanc cognitionem perfectiorem esse nostra, & constituisse perfectionem hominis: sequitur hominem a Deo cum perfectione intellectus fuisse creatum, quia cognitio supponit intellectum (§. 2.). Et quia Deus intellectu perfectissimo gaudet, i. e. cognitione omnium rerum perfectissima, & homo ex consideratione perfecti ipsius intellectus notionem sibi de intellectu Dei infinito formare potuit, quem in finem Deus homini talem perfectionem

tionem concreavit, sequitur, perfectum hunc hominis intellectum fuisse partem imaginis divinæ (§. I.) seu, ut Deus hominem cum perfectione intellectus creans, illum secundum imaginem suam creaverit.

§. XIII.

Restat adhuc probatio hujus cognitionis humanæ in statu integritatis, cujus probationem, licet jam ex fine divino illam deduxerimus, hoc loco ex S. scriptura depromere volumus: Gen. V, 1. asseritur: Deum hominem ad similitudinem suam, & Genes. I, 27. in imagine sua creasse, dum igitur Deus intellectu perfectissimo gaudet, hominis autem cognitio magna esse, ideoque semper crescere potest, & hinc homo perfecti intellectus capax est, præterea Deus summam hominibus possibilem perfectionem appetit (§. 3.): sequitur, ut per similitudinem hancce Genes. V, 1. perfectio intellectus intelligi possit, id quod re vera patet ex Coloss. III, 10. induentes novum, renovatum ad cognitionem, secundum imaginem creantis eum, ubi Paulus de restauratione imaginis divinæ loquitur, quod renovandi sumus ad cognitionem cet. Ad quodcunque autem homo est renovandus, illud antea habuerit, necesse est, quia renovatio instaurationem ejus, quod aliquando adfuit, involvit. Sed cognitio ista, ad quam renovandi sumus, est cognitio Dei Hebr. XI, 6. cognitio voluntatis divinæ s. legum divinarum, hinc & boni malique Rom. XII, 2. 9. & quidem distincta, solida & vivida. Coloss. II, 7. Cap. I, 10. I Cor. XV, 58, incrementum enim & immutabilitas pariter ac corroboratio in cognitione, cognitionem distinctam & vividam supponit. Ergo cognitio Dei legumque divinarum, hinc & boni malique distincta & vivida olim in homine adfuerit, necesse est.

§. XIV.

Uteriore probacionem cognitionis hujus actualis in homine ex exemplo Adami recens creati deducere licet Genes. II, 18. 20. ubi asseritur, Deum ad Adamum omnia animantium genera adduxisse, ut illis nomina imponeret. Homo autem illis animantibus primo fere intuitu nomina imponebat naturæ ipsorum convenientissima,

suma, æque ac fœmina ipsius nomen, origini illius exprimenda convenientissimum dabat, Genes. II, 23. Quia igitur Adamus naturam animantium æque ac conjugis suæ dijudicavit, eorumque fines perspexit: etiam ille præter cognitionem Dei (Gen. I, 3.) magna cognitione rerum extra se s. rerum naturalium polluit. Pariter Adamus Evam cernens & pro uxore sua ex suo ipsius corpore extracta eam agnoscens, etiam conditionem vinculi conjugalis intimiorem cognovit Gen. II, 24. conf. Matth. XIX, 5. Ergo Adamus rerum moralium s. legum divinarum hinc & boni malique cognitione actuali, distincta & vivida instructus fuit.

Schol. Hæc specimina cognitionis Adami simul indicant cognitionem Adamo habitualiter fuisse concreatam. Adamus enim hæc cognitione jam gaudebat, antequam Eva producebatur. Genes. II, 18—22. illa autem eodem die, quo Adam creabatur, facta est. Gen. I, 27. Ergo Adamus ista cognitione a prima ipsius origine habitualiter polluerit necesse est.

Schol. Sed dantur quidam, qui contra hæc cognitionem Adami æqualem & distinctam obijciunt: si Adamus cum cognitione Dei legumque divinarum actuali, distincta & vivida creatus fuit, cui inservit revelatio divina de non comedendo fructu arboris cognitionis boni malique? Gen. II, 16. 17. Sed 1) revelationes Dei immediatas in statu integritatis minime negamus, hominis enim tanquam creaturæ finitæ cognitio semper ulterioris incrementi capax est, vel per experientiam, vel per usum rationis, vel per revelationem divinam, imo homo ad incrementum in cognitione semper obligatus est. Primi hominis enim cognitio, quamvis magna fuerit, tamen fuit finita, non infinita, quia omniscientia, & cum ea connexus intellectus infinitus soli Deo competit, hominis enim cognitio tantum ad finem, quem Deus homini proposuerat, sufficiens erat. Hinc homo non omnia simul, nec omnia ex ratione sola cognoscere poterat, tantum illa cognitione rerum gaudebat, quæ ad statum suum pertinebant, i. e. eas res tantum cognovit, quæ ad cultum divinum, suamque & aliorum perfectionem promovendam tendebant. 2) Lex, ne homo de arbore comederet, erat

erat

erat lex divina positiva, ex ratione sola non cognoscibilis, in qua obedientia Adami exploranda erat, & quæ ad legem naturalem non pertinebat, ergo ut Deus homini istam legem revelaret & promulgaret, necesse erat.

§. XVI.

Hæc quidem cognitio ad cultum divinum hominumque felicitatem promovendam necessaria, sed sola non sufficiens esset, (§. 2. 3.) nisi homo voluntatem suam fini divino convenienter inclinaret. (§. 2. Schol.) Quia cultus divinus consistit in actionibus ex motivo perfectionum divinarum susceptis, actiones autem, quæ ex motivo suscipiuntur, sunt actiones liberae. Ergo ad cultum divinum æque ac hominum perfectionem promovendam quoque requiritur inclinatio voluntatis cognitioni hominis actuali distinctæ & vividæ conveniens. Et quia Deus omne ens fini convenienter facit, simul autem vult, ut homines ipsum actu colant, suamque & aliorum perfectionem promoveant actu (§. 4.) ad quod requiritur inclinatio voluntatis actualis, sine qua homo istas actiones sine impedimento producere non potuisset: sequitur Deum quoque hominem cum voluntate non libera solum, sed ad bonum etiam & perfectionibus divinis convenienter sese inclinante creasse. (§. 4.)

§. XVII.

Quoniam autem voluntas divina semper ad bonum tendit, Deus etiam vult, ut hominis voluntas sese semper ad actiones fini divino conformes inclinet, seu ut homo ipsum summo ipsi possibili gradu colat, & suam & aliorum perfectionem quærat (§. 5. 6.) i. e. ut homo semper appetat bonum, quia bonum vocatur, quod fini conveniens est, ergo Deus hominem cum voluntate constanter ad bonas actiones directa creavit; & quia voluntas semper & constanter ad bonum inclinata appetitum ad malum excludit, appetitus boni autem ab appetitu mali remotus, sanctitatem voluntatis constituit: sequitur, Deum hominem non solum cum voluntate constanter ad bonum directa, sed etiam cum voluntate sancta creasse.

B.

Schol.

Schol. Dum enim Deus hominem cum cognitione vivida creavit (§. 8.) quæ homini motiva efficacissima ad bonum peragendam præbet; quæ igitur rationem sufficientem inclinationis voluntatis humanæ ad bonum in se continet, & homo actu ista cognitione vivida gavissus est (§. 13. 14.): etiam ex hoc sequitur, eum voluntate constanti & sancta instructum fuisse.

§. XVIII.

Sed quamvis Deus hominem ita creaverit, ut non nisi bonum & sui divino conveniens appeteret (§. 17.); homo tamen bonum non appetit necessario, sed libere. Cultus enim divinus consistit in actionibus ex motivo perfectionum divinarum susceptis, sed actiones ex motivo susceptæ sunt actiones liberæ (§. 2. *Schol.*), appetitus boni autem necessarius possibilitatem oppositi i. e. appetitum mali excludit, ideoque non verus cultus est, quia non ex motivis peragitur. Ergo homo non coactus i. e. libere actiones suas legibus divinis seu fini divino convenienter instituit. Libertas autem possibilitatem oppositi non excludit, ita nec homini, ut ad malum sese inclinaret, fuit impossibile, qualis cultus jure cultus verus appellari potest. conf. 2 Cor. VIII, 12. Psalm. CX, 3. Jes. LVIII, 5-9.

Schol. Actiones enim liberæ sunt, quæ ex motivis suscipiuntur, s. electio spontanea illius, quod maxime placet, ex pluribus, quorum unum æque ac alterum eligi potest. Sed homo perfectiones divinas & leges divinas in ordinatissimo nexu, cumque illarum motivis efficacissimis cognoscebat (§. 13. 14.) ergo homo libere appetiit bonum.

§. XIX.

Appetitus boni distincte representati & cogniti appetitus rationalis appellatur, per principia Metaphysica; quia igitur homo in statu integritatis bonum distincte cognitum appetiit (§. 6. 17.), appetitu rationali gavissus est. Sed dum homini omniscientia, soli Deo propria, tribuenda non est (§. 15.), ille autem, qui non omniscius est, multarum rerum representationes confusas tantum, imo obscuras habet, homo etiam multarum rerum, ergo & boni, representationes confusas, imo obscuras habuit. Sed inclinatio ad bonum confuse qua tale cognitum appetitus sensiti-

VUS

ivus appellatur; ergo in homine præter appetitum rationalem etiam appetitui sensitivo locus fuit.

§. XX.

Quamvis autem in nobis, post lapsum, non raro appetitus sensitivus appetitui rationali oblectetur, quia cognitio nostra non tam distincta & vivida est, quam in statu integritatis: tamen, quia Deus hominem ita creavit, ut non nisi bonum distincte cognitum actu & constanter appeteret (§. 16. 17.): appetitus hominis sensitivus sanctis ipsius voluntatis inclinationibus semper fuit conformis. Ergo iuxta appetitus sensitivi & voluntatis sanctæ, quæ ex difformitate appetitus sensitivi & rationalis oritur, in homine in statu integritatis locum non habuit, nec homo eandem expertus est.

Schol. Intellectus enim hominum perfectus & voluntas sancta representationes & appetitiones sensitivas ita determinabant, ut hæc essent media, quibus finis divinus obtineri posset, quia Deus hominem cum voluntate constanter ad bonum directa creavit (§. 16. 17.) representationes autem & appetitiones sensitivæ sine impedimento ad obtinendum finem sese determinarunt per distinctam perfecti intellectus cognitionem & per conformitatem voluntatis sanctæ cum illa.

§. XXI.

Ex his (§. 19. 20.) ergo patet simul, revelationes Dei immediatas hominibus, licet in statu integritatis permansissent, fuisse necessarias (§. 15.); quia homo multarum rerum representationes tantum confusas imo obscuras habuit (§. 19.): ille autem secundum finem divinum constanter bonum appeterere debebat (§. 17.) Ergo nisi Deus contra finem agere volebat: necesse erat, ut ille homini interdum quasdam veritates revelaret.

§. XXII.

Sed cum homo bonum non appetiit necessario, sed libere (§. 18.) etiam voluntas sancta homini non fuit essentialis, sed modo accidentalis, quia semper possibile erat, ut homo sese ad malum inclinaret, quod per lapsum patet. Nemo autem dubitabit, inclinationem istam voluntatis constantem ad bonum distincte

cognitum pariter ac voluntatem sanctam, constituisse in homine perfectionem voluntatis; dum igitur Deus hominem cum voluntate constanter ad bonum directa & sancta creavit, Deus hominem non solum cum perfectione intellectus (§. 12.), sed etiam cum perfectione voluntatis creavit (§. 7.). Sed Dei voluntas semper ad optimum tendit, imò perfectissima & sanctissima est; ergo homo ex consideratione suae voluntatis perfectae notionem de voluntate divina infinita sibi formare potuit, qua ex ratione etiam Deus homini voluntatem hanc perfectam concreavit (§. 2. 16.). Ergo hae perfectio humanae voluntatis aequae ac humani intellectus (§. 12.) pertinet ad imaginem divinam (§. 1.), & Deus, dum hominem cum perfectione intellectus & voluntatis creavit, ipsum sibi similem s. secundum similitudinem suam creavit. (§. 12. 1.)

§. VI. XXIII.

Scriptura ipsa nostrae thesi assensum praebet. Genes. V, 1. Cap. I, 27. Deus hominem ad similitudinem suam & in imagine sua creavit. Dum autem Deus voluntate perfectissima gaudet, & per illam hominum perfectionem summam ipsis possibilem vult (§. 3.) voluntas sancta in homine perfectionem constituit (§. 22.) & possessio huius perfectionis in homine contradictionem non involvit; sequitur, per hanc similitudinem, ad quam Deus hominem creavit, posse intelligi perfectionem voluntatis aequae ac intellectus (§. 13.). Et dum Paulus Eph. IV, 22-24. ubi de reformatione imaginis divinae loquitur, vult, ut renovemur spiritu mentis nostrae, & induamus novum hominem, qui secundum Deum creatus est in iustitia & sanctitate veritatis. conf. Ephes. V, 9. 1 Petr. I, 16; per spiritum mentis autem mutatio interna s. spiritualis ad bonum intelligenda est in oppositione cupiditatum voluntatis pravarum deponendarum, ita ut facultates animae humanae superiores dominium rursus super inferiores recipiant, & ut homo conepet actiones suas fini divino convenienter producere, quae in iustitia & sanctitate vera i. e. in vero amore erga bonum & odio contra malum vero extant, & ut homo ad statum hunc renovetur. Ex hoc termino renovationis patet, veram iustitiam

tiam & sanctitatem hominis olim jam adfuisse, (§. 17. 13.) quia renovatio illud, quod antea adfuit, involvit. Eodem modo ex 2. Cor. XI, 31. concludere licet, appetitus hominis sensitivos conformes fuisse rationalibus in statu integritatis. Cui probationi adjungendum quoque est testimonium Salomonis, Eccles. VII, 30. Deum hominem fecisse rectum, sed rectitudo ad voluntatem pertinet, ergo Salomo dicit: Deum hominem ita creasse, ut actiones voluntatis suae legibus conformarit. Sed praeipuum nobis argumentum praebet effatum Dei ipsius, Genes. I, 31. Ecce omnia erant valde bona, ergo per necessariam consequentiam sequitur, & hominem fuisse valde bonum, ipsum a Deo non solum cum bonitate naturali sed & morali voluntatis esse creatum, quia homo sine bonitate morali sane non valde bonus fuisset creatus.

§. XXIV.

V Appetitus hominis sensitivos rationalibus fuisse conformes, S. Scriptura inter alia Genes. II, 25. testatur, quod etiamsi protoplasti fuissent nudi, eos tamen non puduerit. Dum enim appetitus eorum sensitivi se voluntati sanctae conformabant, nulli in ipsis oriebantur motus inordinati ad pravam voluptatem percipiendam. Sicuti igitur ad refranandas cupiditates libidinosas nulla tegumenta ipsis opus erant, ita nec pudorem coram se invicem percipiebant, qui ex judicio alterius de imperfectione nostra oritur, quia neutra pars in altera quidquam reprehensione dignum reperiebat. Ergo hoc dictum sanctam hominis voluntatem, appetitumque boni ab appetitu mali remotum indicat.

§. XXV.

His igitur perfectionibus sc. intellectus & voluntatis (§. 12. 22.) homo a Deo creatus jam a prima sua origine gavifus est, sed quia Deus omnia fini suo convenienter facit, & simul serio vult, ut homines ipsum colant (§. 2.) & suam & aliorum perfectionem promoveant (§. 3.) & quidem actu (§. 4. 5.): Deus autem semper cum optimis finibus media convenientissima connectit, sequitur, & Deum in creando hominem media convenientissima adhibuisse.

Hinc Deus homini tales perfectiones actu a prima ipsorum origine concreavit, ita ut homo statim fini divino convenienter agere posset; & Deus quoque homini vires ad tales actiones producendas sufficientes concreavit (§. 7.), ita ut in usu istarum virium impediri non possent (§. 17. 20.) Dum autem homo a prima ipsius origine statim vires istas adhibere poterat, fini divino convenienter agendi, & actu adhibebat (§. 14. 23. 24.): sequitur, vires hasce homini habitualiter fuisse concreatas, ergo & intellectus & voluntatis perfectionem ipsi habitualiter concreatam fuisse. (§. 7.)

§. XXVI.

Habitualiter concreatam istam perfectionem vocamus, non, ac si homo istam per institutionem aut investigationem operosam acquisivisset, id quod fini divino summum & exactissimum cultum postulanti non conveniens fuisset. (§. 5.) Sed ideo, quia homo hisce perfectionibus a prima ipsius origine jam gaudebat (§. 14. 24.) viribusque sufficientibus instructus erat (§. 7.) quibus statim a prima ipsius origine uti poterat, & actu utebatur, & in quarum usu impediri nequibat (§. 17. 20.) Si vero homo viribus quibusdam gaudet, easque sine impedimento ad actiones quasdam producendas adhibere potest, & actu adhibet, adeo ut plures & majores actiones producere ipsi possibile sit: ipsi habitum tribuimus. Cum autem protoplasti viribus sufficientibus gaudebant, easque statim a prima ipsorum origine adhibere poterant, & actu adhibebant, eodem modo, quo nos actiones producimus, in quibus habitum acquisivimus; pariter hominibus usus virium concreatus erat (§. 7. 8. 4. 14. 24.) adeo ut in statu integritatis nulla adessent obstacula, quo minus hæ vires & facultates iam statim potuissent exseri, & homines illas statim a prima ipsorum origine excolerent; ideoque majori facultate gaudebant, quam nos in statu corruptionis, qui per institutionem aut investigationem operosam demum habitum acquirimus. Ergo sequitur, protoplastis perfectiones intellectus & voluntatis habitualiter esse concreatas (§. 14.), & eo tantum sensu illud asserimus.

§. XXVII.

Hinc Deus homini tales potestates dedit §. XXVII. Sed has perfectiones homini habitualiter concreatas fuisse quidam negant dicentes: Habitum legitimarum inclinationum sine precedente exercitio locum habere non posse; hinc esse contradictionem in terminis homini habitualiter concreatam iustitiam & sanctitatem tribuere: sed his jure concedimus, habitum supponere praecedens exercitium, seu praecedentem facultatum usum, sed hic facultatum hominis usus statim a prima ipsius origine jam aderat, quod patet ex exemplo Adami Genes. II, 18. 20. (§. 14.), ideoque homo statim facultates suas habitualiter exercebat; Deus enim homini vires ad obtinendum finem sufficientes concreare debuit, nisi contra finem agere voluisset, (§. 7. 8.) & quidem ita, ut statim eas sine impedimento exercere posset (§. 5. 14.) licet Socinianis dissentientibus concedamus, inclinationem ad bonum supponere rationem sufficientem in cognitione rerum, secundum quam bonum eligendum & malum contemnendum est. Sed homo cognitione actuali (§. 4.) distincta (§. 6.) & vivida (§. 8.) a prima ipsius origine (§. 9. 14.) gaudebat, quae ipsi motiva efficacissima ad bonas actiones producendas praebebat, ita ut homo statim a prima ipsius origine ad bonum sese inclinare posset, & quidem sine ullo impedimento, ac si jam habitum in bono amplectendo acquisivisset. Per perfectionem voluntatis enim habitualiter concreatam non intelligimus habitum ad actiones legitimas (§. 18.), uti dissentientes produnt, attamen naturalis inclinatio in relatione naturalium facultatum ad objectum quoddam fundata locum habere potest sine precedenti exercitio. Sed protoplasti ista naturali inclinatione ad bonum amplectendum gaudebant, quae in relatione ipsorum facultatum & virium sufficientium ad bonum fundata erat. (§. 20.) Ergo perfectio voluntatis Adami habitualiter concreata etiam sine precedenti exercitio locum habere potest.

§. XXVIII.

Sed porro objiciunt dissentientes: Cognitionem & inclinationem voluntatis habitualiter concreatam, esse impossibile quid, creatu-

19
35
20
36
21
37
22
23
24
25
26
27
28
29
30
15
31
16
32
17
33
18
34

creaturam enim finitam nil posse cognoscere, nisi modo naturæ ipsius convenienti; sed modum aliquid cognoscendi in creatura finita esse quadruplicem. Primam viam esse experientiam, qua res extra se, quibuscum verferur, cognoscat; alteram esse viam per rationem, per quam ex aliis cognitis alia incognita, eorumque nexum perspicere posset, ex quibus homo facillime in statu integritatis ob naturam ipsius ordinatam cognitionem de Deo, ipsiusque legibus & de se ipso, aliisque rebus acquirere potuisset: & tertiam viam cognoscendi esse revelationem Dei immediatam, cujus ope homo ad cognitionem eorum, quæ prioribus viis ipsi imperferutabilia fuissent, pervenire potuisset: denique quartam esse istam, qua homines per commercium mutuum in sua cognitione crescere potuissent. Si igitur Adamus est creatura finita, ille etiam veritates cognoscere non potuit, nisi modo hoc quadruplici: Verum est prius, ergo & posterius. Sin autem Adamo ista cognitio fuisset habitualiter concreata, ipsi nec revelatione Dei fuisset opus, quod tamen Genes. II, 16. 17. asseritur, nec ratione sana, quod contra essentiam hominis foret, sed omnium rerum cognitionem ipsi habitualiter concreatam fuisse debere. Cum igitur utrumque sit absurdum, sequi cognitionem habitualiter concreatam, esse impossibile quid, & Adamum veritates modo hocce quadruplici cognovisse, & cognitionem earum eis modis accepisse, id quod simul pateat in perfectissimo homine Christo, cui talis cognitio non sit concreata, sed qui, restante Scriptura, in cognitione sua ulterius crevit.

§. XXIX.

Sed totam objectionem hanc concederemus, si Adam esset genitus uti reliqui hominum, hi enim nascuntur infantes facultatibus modo præditi, & qui cum annis demum plenarium facultatum usum recipiunt, in quos utique hæc via cognoscendi quadruplex quadrat, qualis etiam in Christo reperiebatur, qui ex utero natus est, cujusque natura humana post infantiam plenarium suarum facultatum usum recipiebat, licet Christus propter eminentiam naturæ ipsius humanæ citius facultatibus uteretur, & minori investigatione

stigatione, quam nos, cum natura corrupta. Sed ideo Deus Adamum a prima ipsius origine hominem integrum respectu corporis & animæ creabat, ut statim plenarii facultatum suarum usus particeps esse posset, id quod ad cultum Dei summum & exactissimum requirebatur (§. 5.) & quod exempla Adami ipsa testantur Gen. II, 18. 20. (§. 14.) Ergo impossibilitas hæc assumpta in Adamo locum habere nequit, licet has vias cognoscendi ipsi non denegemus, qualibus angeli etiam utuntur, & quales etiam nobis in regno gloriæ tribuendæ sunt. Deus enim tantum Adamo istarum rerum cognitionem concreabat, quæ ad statum suum pertinabant, i. e. quæ ad finem divinum obtinendum (§. 2. 3.) necessariæ erant (§. 15. 21.); ideo Adamus plenario rationis usu gaudebat, per quam ille ex aliis cognitis alia incognita eruere poterat; & quia Adamus creatura finita intellectu infinito pollere nequit, ille etiam revelationes divinas expectare potuit, ergo per viam hanc quadruplicem in cognitione sua ipsi habitualiter concreata crescere, ad quod obligatus erat. Ergo cognitio habitualiter concreata, & usus rationis æque ac revelatio divina sibi non contradicunt, & ipsa cognitio habitualiter concreata nullam involvit contradictionem, licet concedamus, has perfectiones habitualiter concretas pertinere ad miracula divina, quorum modum fieri perspicere nobis non licet; attamen ideo ipsa res eo, quod modum fieri non perspicimus, impossibilis non est, licet nobis hoc impossibile sit, hunc actum divinum plane perferuari.

§. XXX.

Sed per se patet ex §. 29. nos tantum hanc cognitionem habitualiter concretam in protoplastorum personas restringere, illamque illorum infantibus denegare, quos in statu integritatis, nisi lapsus intervenisset, fuissent genituri; hi enim more omnium hominum ex utero nati fuissent, facultatibus modo præditi, licet ipsorum facultatibus præ eminentiam præ nostra tribuamus, ita ut facillime plenarium illarum usum recepturi fuissent, id quod ex ordinata eorum natura ortum fuisset. Si enim Deus omnibus hominibus perfectiones hæc habitualiter concreare voluisset, etiam

illos homines integros creare debuisset (§. 29.), ita ut statim a prima ipsorum origine plenarii facultatum usus participes essent, qualis tamen in infantibus propter eorum naturam locum habere nequit, licet isti infantes omnino cum perfectionibus hæc pro facultatibus sumtis fuissent nati; ad perfectionem hominum enim recens natorum perfectiones hæc habitualiter, ante usum plenarium rationis, a prima ipsorum origine, non requiruntur; nam imago divina, ad quam hæc perfectiones pertinent, est similitudo si convenientia perfectionum humanarum cum perfectionibus divinis, deo ipsi sine data, ut representet Deum (§. 1.); ex quo plenarius usus istarum perfectionum a prima hominum origine non sequitur. Finis enim Dei in creando protoplastos hic erat, ut ipsi statim plenario facultatum usu gauderent, & a prima ipsorum origine fini divino convenienter agerent, ideo eos homines integros respectu corporis & animæ creabat. Ad probandam & illustrandam hanc nostram thesin provocamus merito ad humanam Christi naturam, perfectissimi hominum, qui, quamvis sine peccato esset, tamen cum annis plenarium facultatum suarum usum recepit.

§. XXXI. Nec obstat nostræ thesi objectio hæc: Quod ideo infantes per hypothesein in statu integritatis geniti, si cum annis plenarium facultatum usum recepturi fuissent, nobis post lapsum essent similes, id quod respectu essentiæ nostræ & conditionis nascendi concedimus, quæ illis æque ac nobis competit, sed consequentiam negamus; eorum enim facultates præ eminentiam præ nostram habuissent, quod ab ordinata eorum natura dependisset, dum citius & non cum tam magna & operosa investigatione plenarium facultatum usum recepturi fuissent infantes, quam nos, quorum facultates post lapsum relative imminutæ sunt, ita ut magna opera perfectionem istam & non nisi operante Deo recuperare valeamus. Sed infantes in statu integritatis geniti hæc obstacula non experturi fuissent, siquidem eorum vires sufficientes erant, ita ut sine impedimento facillime ad plenarium facultatum usum pervenire potuissent (§. 7.).

§. XXXII.

§. XXXII. Multo minus nobis contra hanc thesin (§. 30.) objici potest §. 7. 5. 25. ubi asseruimus, Deum ideo, quia cultum summum & exactissimum ab hominibus postulat, ipsis has perfectiones habitualiter concreasse. Deus enim tantum ab hominibus postulat, quantum prestare valent; i. e. Deus vult ab hominibus summo ipsis possibili gradu coli (§. 5.). Ergo Deus ante plenarium facultatum usum ab infantibus non eo gradu cultum postulasset, quem homines integri cum plenario facultatum usu prestare obligati erant. Plenarius enim facultatum usus est fons & causa cultus divini summi (§. 18.) cessante autem causa, cessat effectus. §. XXXIII. Dei autem finis in creando hominem dum erat, ut ipsum coleret, (§. 2.) suamque & aliorum perfectionem promoveret (§. 3.) & quidem, ut actu & semper finis ille obtineretur (§. 4. 5. 17.) mors hominum autem huic fini contraria est, Deus vero ens sapientissimus ens quodlibet fini suo convenienter facit: sequitur, mortem hominis respectu corporis sui, s. dissolutionem harmoniae corporis & animae in statu integritatis locum habere non potuisse, quia tam ad cultum divinum quam imprimis ad hominum felicitatem promovendam, id quod Deus serio vult (§. 3. 5.), progressus continuus non interruptus requiritur, qui per mortem necessario, licet partialiter, interruptitur. Adeo, cum nos considerantes hominem in statu integritatis nullam rationem sufficientem dissolutionis harmoniae corporis & animae neque in anima neque in corpore reperimus, qualis tamen in statu corruptionis in homine locum habet; porro cum homo etiam cognitione corporis sui gauderet, ergo & mediorum ad vitam corporis sui conservandam convenientium (§. 11.) ita ut sine impedimento ope virium suarum sufficientium etiam suam perfectionem conservare & promovere potuisset (§. 7.) Ergo ex his immortalitas hominis in statu integritatis respectu corporis sui sequitur. Anima enim ens simplex per se immortalitate adhuc post lapsum gaudet.

§. XXXIV. *Immortalitatem autem homini in statu integritatis tribuen-
tes, non dicimus, quod omni respectu homini mori, fuerit im-
possibile, & plane essentiae humanae contradixerit, alias enim ho-
mo nec post lapsum mori posset. Absoluta enim impossibilitas
moriendi Deo tantum soli competit, licet talis impossibilitas mori-
endi etiam entibus simplicibus naturaliter adscribi possit, quip-
pe quae ut dissolvantur, etiam impossibile est, ita ut illa nullo
modo interire possint, nisi per annihilationem. Hoc tantum lo-
co primo homini naturalem possibilitatem non moriendi adscri-
bimus, ita ut homini possibile fuisset, non mori, quia vires hu-
mani corporis sufficientes erant, (§. 7.) & nullo modo languescere
& labescere poterant, quo conjunctio partium humani corporis
dissolvi potuisset. Sed homini etiam impossibile erat natura-
liter mori, quia nulli aderant morbi in homine primo, nulli
motus inordinati corporis humani; ergo nulla ratio sufficiens
dissolutionis harmoniae corporis & animae. Ex quibus patet, ho-
minem vitam suam naturalem continuo conservare potuisse; er-
go hypotheticae tantum homini impossibile erat mori. In hoc
ce igitur sensu homo in statu integritatis immortalitate corpo-
ris gavissus est.*

§. XXXV.

S. Scriptura ipsa hanc thesin asserit. Gen. II, 17. ubi quidem
non expressis verbis homini immortalitas corporis tribuitur, sed
illam per necessariam consequentiam ex verbis Dei ipsius eruere
possumus. Deus enim homini mortem sub conditione transgres-
sionis legis comminabatur, & Gen. III, 19. extat, hominem pec-
cato commisso morti factum esse obnoxium. conf. Rom. VI, 23.
V. 12. si vero mors per se homini fuisset inevitabilis, & homo
per se morti fuisset obnoxius: mors homini non fuisset poena,
quam Deus tamen sub conditione transgressionis legis commina-
batur, & comminatio divina alias fuisset absurda. Ergo ita con-
cludimus, si Deus homini mortem sub conditione transgressio-
nis legis comminatus est, mors in statu integritatis in homine na-

turaliter locum habere nequit: Verum est prius, ergo & posterius, nempe hominem in statu integritatis immortalitate corporis sui polluisse. Quoniam autem demonstravimus, immortalitatem homini essentialiter adscribi non posse (§. 34.), quia alias nos illa adhuc gaudere deberemus, sed accidentaliter, hypothetice tantum homini impossibile erat mori: homines ergo in statu integritatis immortalitate corporis pollentes perfectione instructi erant, quos nos post lapsum caremus. Pariter cum nulli aderant morbi & nulli motus inordinati corporis hominis in homine locum habebant (§. 34. 20.) quos in statu corruptionis quotidie in nobis sentimus: sequitur, hominem respectu corporis sui nobis perfectionem fuisse, & præter perfectionem intellectus (§. 12.) & voluntatis (§. 22.) etiam perfectione corporis gavifum fuisse. Et quoniam Deus homini eum in finem hæc perfectiones concreavit, ut homo ex consideratione suarum perfectionum notionem sibi de perfectionibus divinis formare posset, n. e. ut perfectiones divinae manifestarentur (§. 1. 2.). Deus autem, qui immortalitate absoluta gaudet, etiam vult, ut ista manifestetur, eumque in finem homini immortalitatem concreavit, ut ex consideratione suæ immortalitatis notionem de immortalitate Dei absoluta sibi formare posset (§. 1.): sequitur, Deum, hominem cum immortalitate creatum, ipsum sibi similem vel ad similitudinem sui creasse (§. 1. 23.). Ergo immortalitas humani corporis pertinet ad imaginem divini.

Præterea homo in statu integritatis pluribus adhuc prærogativis gaudebat, e. g. dominio in res terrestres & bruta perfectiori Gen. I, 28-30. Cap. II, 19. 20. & commoratione jucunda in paradiso Gen. II, 8. 15. coll. Gen. III, 23. 24. Sed hæc partes silentio præteribimus, ne in earum explicatione prolixiores fiamus. Ad scopum enim præsentem non tendunt. Sufficit tantum, si h. l. perfectionum intellectus, voluntatis & corporis hominis mentionem facimus.

§. XXXVIII. Similia sunt, quæ eandem notas características habent. Deus autem hominem respectu animæ creavit spiritualem i. e. intellectu & voluntate libera præditum (§. 2.) & quod inde sequitur, etiam incorruptibilem & immortalem, deinde ratione intellectus cum naturali & habituali cognitione Dei (§. 9. 25. 29.) legum divinarum, hinc & boni malique (§. 10. 14.) & sui ipsius aliarumque extra se rerum (§. 11. 14.), ratione voluntatis cum actuali constanti & sancta inclinatione erga bonum (§. 16. 17. 19. 20.) & ratione corporis immortalem (§. 33. 35.), denique ut rebus terrestribus dominaretur (§. 37.). Deus autem etiam est spiritus, intellectu & voluntate libera gaudens, incorruptibilis æque ac immortalis, cognoscit semet ipsum pariter ac omnes alias res, tam morales quam naturales, nil nisi omne & summum bonum vult & appetit, & supremus omnium Dominus est. Cum ergo Deus hominem ita creavit, ut homo eum ipso quasdam notas características communes haberet, Deus hominem sibi similem vel ad similitudinem sui creavit.

§. XXXIX.

Non autem homo perfectionibus suis Deo æqualis fuit, quia æqualia dicuntur, quæ eandem quantitatem habent, sed nulla identitas quantitatis inter perfectiones hominis & Dei intercessit, quia homo creatura finita est, & creatura finita eandem cum infinito Deo quantitatem assignare contradictionem involvit. Si enim homo perfectionibus suis Deo æqualis fuisset, ille ens infinitum esse debuerat; sed ens infinitum non potest esse nisi unicum, sc. ipse Deus. Ergo licet perfectiones primi hominis magnæ fuerint, illæ tamen non illimitatæ sed limitatæ fuerunt, quas Deus solus illimitatæ possidet.

§. XL.

Deus, dum hominem creabat, illum ad actiones in terra producendas cum corpore organico creabat, ut eo facilius in terra agere posset. Sed nullo modo ex eo, quod homo corpore organico gaudeat, & ex eo, quod Deus hominem ad imaginem suam creaverit, sequitur, Deum quoque ipsum corpore organi-

co

eo esse instructum. Nam sicuti ad similitudinem hominis cum Deo non requiritur, ut in homine omnes nota characteristica, quæ in Deo sunt, reperiantur, id quod impossibile est, ita & hoc contradictionem involvit, Deo omnes notas characteristicas, quæ in homine reperiantur, tribuere. Homo enim est ens finitum, & Deus infinitum. Ergo contrarie opposita. Ergo attributa homini finito propria Deo, enti infinito, simul competere nequeunt. Et vice versa. Deo igitur mutabilitas, corporibus & entibus contingentibus propria, adscribi nequit, quia sine gradu immutabilis est, sicuti etiam hominibus immutabilitas Deo soli propria tribui nequit.

§. XLL

Omnis imago involvit similitudinem (§. 1.). Sed non omnis imago est signum figuræ alterius, nam signatum figuram interdum non habet, uti e. g. justitia in abstracto sensu sumta, de qua nos imaginem formavimus sub figurâ hieroglyphica, licet impossibile sit, ut illa figuram possideat. Sic imago divina in homine non potest esse signum figuræ Dei, quia Deus figuram non habet, quia spiritus, ens simplex est. Joh. IV, 24. 1 Tim. VI, 16. Jes. XL, 18. 25. Hinc Paulus Rom. I, 20. recte ait: Dei invisibilia a mundo condito ex iis, quæ fecit, mente & oculis perspicere posse, atque nam se ipsius potentiam & divinitatem. Et Deus ipse Exod. XX, 4. 5. severe prohibuit, ne ullam ipsius imaginem Judæi facerent, quia conf. Deut. IV, 12. 15. in legislatione quidem vocem Dei audivissent, sed nullam ipsius imaginem vidissent. Pariter non omnis imago est perfectissima & realissima substantiæ & qualitatum convenientia; quia alias pictura, quæ signum signati est, vita, qua signatum pollet, quoque instructa esse deberet; sic & homo imago Dei convenientia perfectissima & realissima substantiæ & qualitatum Dei gaudere nequit (§. 39.). Quo sensu tantum Christus imago Dei invisibilis, Coloss. I, 15. 2 Cor. IV, 4. & character hypostaseos ejus Hebr. I, 3. appellatur. Sed imago etiam sumitur pro convenientia qualitatum saltem quarundam, sive si illa alteri in notabili gradu similis est, qui significatus h. l. adhibendus est

19
20
21
22
23
24
25
26
27
28
29
30
15
16
17
18
35
36
37
31
32
33
34

est, quia inter hominem & Deum convenientia omnium qualitatum locum habere nequit (§. 40.). Cum autem in omnibus entibus quædam qualitates communes sunt, e. g. essentia, possibilitas, attributa, veritas, bonitas & perfectio metaphysica cer. Omnia entia sibi in aliquo gradu similia sunt. Ergo & omne ens Deo in quodam gradu simile est. Enti enim cuilibet perfectio metaphysica competit, & Deus omnium entium perfectissimum est. Ergo sequitur, ut, quo aliquid perfectius est, hoc eo Deo similis sit, & eo major imago Dei sit. Quo enim plures & majores qualitates entibus sunt communes, eo major est similitudo. Dum autem homo creaturis terræ reliquis plures & majores qualitates cum Deo communes habet (§. 38.), in ipso etiam major est imago Dei, s. major similitudo cum Deo, ipsi eo sine a Deo data, ut Deum majori gradu representare possit, quam reliquæ terræ creaturæ.

§. XLII.
 Quoniam igitur inconueniens est, Deo corpus tribuere (§. 40. 41.) pariter Deus nec figuram habet (§. 41.) & ad similitudinem convenientia omnium qualitatum non requiritur (§. 41.) sequitur corpus hominis qua tale non esse imaginem Dei, corpus enim est ens extensum, & Deus simplicitate summa gaudet (§. 41.). Ens simplex autem per ens extensum qua tale representari nequit, ergo nec Deus per corpus qua tale representari, nec corpore pollere potest. Non enim asseruimus: Deum hominis corpus sculpsisse ad imaginem suam, sed omnem similitudinem hominis cum Deo ex qualitatibus internis hominis & præcipue spiritualibus deduximus. Licet concedendum sit, & corpus hominis creatum esse ad imaginem Dei respectu sc. ipsius perfectionum & immortalitatis (§. 33. 35.). Ergo nullo modo ex corpore hominis ad imaginem Dei creato concludi potest, Deum quoque corpore gaudere.

§. XLIII.
 Hoc est, quod S. Scriptura clarissimis verbis asserit: Gen. I, 26. ubi Deus in decreto dixit: Faciamus hominem

nem כדמותו בצלמנו in imagine nostra, secundum similitudinem nostram, & v. 27. in executione, Deum hominem creasse in imagine sua & in imagine Dei, conf. Gen. V, 1. ad similitudinem suam. Ex quo patet, unum per alterum verbum explicari, ita ut דמותו exegetice adhibendum sit, & indicet, quicquid per צלמנו exprimitur, & vice versa. Imago enim quidem similitudinem involvit, sed entium similitum non semper unum alterius imago est. Sed דמותו in S. literis ubique locorum similitudinem indicat. Ergo per hanc imaginem nil nisi similitudo qualitatuum hominis cum Deo intelligitur. Deus autem est spiritus corpore non instructus (§. 41.). Ergo per imaginem & similitudinem Dei corpus hominis qua tale indicari nequit.

§. XLIV.

Nec obstant locutiones biblicæ anthropopathicæ, in quibus Deo manus, pedes, aures, cet. ergo corpus tribuitur. Illud enim Deo in sensu hieroglyphico adscribitur in signum attributorum ipsius sc. potentiæ summæ, omniscientiæ, omnipræsentia, cet. Ergo non proprie Deus talibus membris est præditus, quia hoc simplicitati ejus summæ repugnat.

§. XLV.

Deus sibi finem obtinendum propriarum perfectionum manifestationem (§. 2.) æque ac hominum perfectionem (§. 3.) proposuit, ad quem ut media sc. convenientissima adhibuerit, sapientia infinita postulat. Ut igitur homines ad finem divinum recte exhibendum flecterentur, opus erat, ut Deus cum actionibus finis ipsius conformibus eventus bonos, æque ac cum actionibus finis contrariis eventus malos tanquam motiva conjungeret, quo homines repræsentatione honorum ad bonas actiones incitari, repræsentatione autem malorum a malis actionibus avocari possent. Sed eventus bonus cum actione ut motivum illius perficiendæ connexus, dicitur præmium, sicut e contrario malus eventus cum actione ut motivum illius omittendæ, ab eo, qui obligandi jus habet, connexus, pœna appellatur. Vel si præmium & pœnam, qua

qua executionem spectatas, definire volumus, præmium erit bonum physicum ob bonum morale commissum alteri datum, & pœna malum physicum ab eo, qui obligandi jus habet, ob malum morale alteri immissum. Ergo quia Deus ad finem obtinendum per sapientiam suam media convenientissima adhibet, etiam opus erat, ut Deus cum actionibus fini conformibus præmia & cum malis pœnas conjungeret, id quod etiam justitia divina postulat.

§. XLVI.

Justitia Dei est infinita. Ea vero postulat, ut Deus bona remuneretur, malaque puniat (§. 45.). Sicuti igitur Deus per infinitatem justitiæ ipsius nullum bonum sine remuneratione, & nullum peccatum sine pœna relinquere potest, sic & Deus actiones hominis fini divino (§. 2. 3.) conformes sine remuneratione, & actiones isti fini contrarias sine pœna relinquere non potest, id quod S. Scriptura ipsa testatur Gen. II, 16. 17. ubi Deus homini motiva fini suo convenienter agendi proponit, quorum representatione homo ad bonas actiones incitari æque ac a malis actionibus avocari posset: De fructu, inquit, arboris cognitionis boni & mali ne comedas, quocumque enim die de isto comederis, moriendo moriturus es. Patet ergo, Deum homini sub conditione transgressionis legis mortem comminatum fuisse, tanquam motivum, cujus representatione homo a malis actionibus avocaretur, sicuti ex opposito concludendum est, Deum cum executione perfecta finis divini vitam felicem tanquam motivum hominem ad bonas actiones impellendi, conjunxisse. Ergo mors ob actiones hominum fini contrarias a Deo homini immittenda erat pœna; sic & vita æterna præmium, quod Deus cum bonis actionibus hominum conjungere volebat, id quod ex eventu Gen. III, 19. uberior patet. conf. Luc. X, 25-28. 2 Tim. I, 10.

§. XLVII.

Vita entis in genere consistit in continua ejus actuositate s. in vi activa: Dum igitur spiritus cogitando & appetendo agit, vita spiritus consistit in continua ejus cogitando & appetendo exer-

cita

cita actuositate, vel in vi cogitandi & appetendi. Irigitur spiritus tales actiones producit, quæ naturæ suæ conveniunt, ille vivit. Vita ergo privatur, si in ipso non amplius est principium sufficiens tales actiones producendi, quæ naturæ suæ conveniunt, vel etiam, si in ipso principium reperitur, quod illum impedit, quo minus actiones suas ita producat, prouti naturæ suæ conveniunt. Dum autem imago divina consistit in perfectione intellectus & voluntatis, pariter ac corporis s. immortalitate corporis: vita hominum in statu integritatis etiam consistit in viribus continuo sufficientibus non impeditis actualiter distincte & vivide cognoscendi Deum, ejusque perfectiones infinitas, leges divinas, hinc & bonum & malum, semet ipsum, aliasque extra se res (§. 12.) imo etiam in viribus continuo sufficientibus non impeditis sese semper & constanter ad bonum inclinandi (§. 22.) & respectu corporis in continua actuositate, vel potius respectu totius corporis in vi animæ corporisque agendi harmonica non interrupta (§. 33. 34.). Ergo si homo tales actiones producit, quæ naturæ ipsius spirituali perfectæ conveniunt (§. 12. 22.), ille vivit spiritualiter, sicuti etiam ille corporaliter vivit, si tales actiones producit, quales ut homo ex anima & corpore constans, producere debet. Vita ergo spirituali homo privatur, si in ipso non est principium sufficiens tales actiones producendi, quales natura ipsius spiritualis perfectæ requirebat, vel si in ipso principium reperitur, quod illum impedit, quo minus actiones suas naturæ ipsius spirituali perfectæ convenientes producere queat. Et vita corporali privatur, si in ipso principium adest, quod illum impedit, quo minus anima & corpus ipsius harmonice agere possint. Ita dum Deus homini mortem sub conditione transgressionis legis Gen. II, 17. comminatus est, mors autem privatio vitæ est, sequitur, Deum homini privationem vitæ comminatum fuisse; Quoniam autem nulla ratio restrictionis adest, & verba S. Scripturæ restringenda non sunt, quamdiu nulla adest restrictionis ratio sufficiens per Hermeneuticam S. : Deus homini privationem vitæ spiritualis, æternæ & temporalis comminatus est, seu hominem

sub conditione transgressionis legis morti spirituali, aeternae & temporali obnoxium fore.

§. XLVIII.

Protoplasti igitur in statu integritatis vitam beatam & felicem vivebant, in qua multis perfectionibus (§. 12. 22. 36.) gaudebant, ita ut semper sine impedimento ad superiores perfectiones progredi possent (§. 15. 21. 29.), quia vires eorum sufficientes erant ad fini divino convenienter agendum (§. 7. 8.). Sed ut semper homo memor esset obedientiae Deo debitae, Deus ei proponebat signum aliquod externum, quod patefacturum erat, utrum homo constanter voluntati divinae obsecutus sit, nec ne? hoc erat arbor scientiae boni malique Gen. II, 9. a cuius fructu homo sub poena mortis debebat abstinere Gen. II, 16. 17. (§. 46. 47.). Quoniam autem homo legem hancce peirasticam transgressus est, & hinc morti obnoxius factus est: videbimus, protoplastis possibile fuisse, ut peccarent, licet tam multis perfectionibus instructi essent.

§. XLIX.

Dum homo bonum non apperebat necessario, sed libere (§. 18.), libertas autem appetendi bonum possibilitatem appetendi malum non excludit: sequitur, homini possibile fuisse peccatum omittere aequae ac committere. Praeterea homo intellectu quidem magno (§. 12.) non autem illimitato sed limitato gaudebat (§. 39.) unde ut in iudicio suo erraret, poterat fieri, licet debita intellectus sui applicatione adhibita, errorem facile deredere & evitare potuisset (§. 7.). Absolutam enim impossibilitas peccandi Deo soli infallibili competit, nulli autem creaturae finitae, quia illa pollere nequit omniscientia; et ergo multarum rerum representationes confusas tantum, imo obscuras habet (§. 19.) licet etiam angelis bonis in bono iam confirmatis hypothetice impossibile sit peccare, quia legem suam peirasticam servarunt, sub cuius conditione Deus ipsis vitam aeternam promiserat, eodem modo, quo Deus hominem in bono confirmare volebat sub conditione legis peirasticae servatae, ipsique aeternam vitam promiserat (§. 46.).

§. L.

§. I.
Lapsum hominis est primum hominis peccatum actuale. Peccatum autem est id, quod legi adversum est. Lex autem, in qua obedientia Adami exploranda erat, fuit lex de non comedendo de fructu arboris cognitionis boni ac mali (§. 48.). Quoniam autem legi huic non obtemperabat homo, & actiones legi adversas committebat: ille peccabat, & quia hoc primum hominis peccatum erat actuale, homo eo, dum comederet de fructu, lapsus est.

§. II.
Si historiam lapsum Gen. III. evolvimus, ubi Moyses ipsum describit, videmus, homines vires suas, quas a Deo receperant, sufficientes (§. 7.) legitimo modo non adhibuisse. Diabolus enim Deum sermonis falsi & invidiæ arguebat. 1) Sermonis falsi negando pœnam mortis Gen. III. 4 quam tamen Deus cum comestione de arbore vetita conjunxerat Gen. II, 17. 2) Invidiæ, ac si perfectionem hominum averfaretur, Diabolus enim asterebat, quod arbor cognitionis boni malique vi, multo excellentiorem scientiam, perfectiorem etiam æqualitatem cum Deo largiendi instructa sit, & quod Deus hæc probe posset, sed studiose illud hominem celasset, & ideo ne homo perfectionis istius particeps redderetur, usum illius vetuisset Gen. III. 5. Ergo diabolus Deo etiam averfationem ab hominis perfectione tribuit. Sed homines eo, dum comederent, sermonem diaboli, qui Deum mendacii & invidiæ arguebat, pro vero habebant, ideoque etiam Deum pro mendace & invido habebant, cum tamen ipsis longe aliter de Deo sentiendum esset, & pro cognitione ipsorum de Deo habitualiter concreata (§. 9. 25.) Deum pro veracissimo, benignissimo, hominisque amantissimo habere debuissent; pariter homines comedentes bonum apparens pro vero habebant & amplectebantur, cum tamen ope cognitionis de bono & malo habitualiter concreata (§. 10. 25.) fraudem diaboli facile deregere potuissent, & ope virium suarum ad bonum amplectendum sufficientium (§. 17.) potius bonum verum amplecti debuissent. Ergo

patet, quod homines lapsi sint ex intermissione usus legitimi virium suarum, quæ tamen sufficientes erant (§. 7.).

§. LII.

Sed quia Deus homini sub conditione transgressionis legis peirasticæ Gen. II, 17. mortem comminatus erat (§. 46.) homo autem legem hanc non servavit, sed potius contra illam egit (§. 51.): sequitur, ut homo etiam post lapsum morti obnoxius fuerit, quia alias Deus contra veracitatem suam egisset. Sed quia in comminatione divina nulla ratio restrictionis adest, istaque comminatio igitur nec restringenda est (§. 47.) sequitur, ut homo commissa transgressionis legis non potuerit non obnoxius fieri morti spirituali, æternæ atque temporali.

§. LIII.

Pariter sicuti Deus pro justitia sua infinita nullum bonum sine remuneratione relinquere potest (§. 46.), ita per eandem Deus facere non potest, quin peccata puniat & mala, quæ comminatus est, merentibus immittat, quia justitia Dei infinita pœnarum non determinationem tantum sed etiam executionem, transgressionis legis commissa, postulat. Quoniam igitur homo a lege peirastica aberrabat, actionesque suas isti legi contrarias instituebat, & peccabat, sub cujus transgressionis Deus tamen homini mortem comminatus erat (§. 46.): Deus non poterat non homini mortem, quam comminatus erat, inferre, & quidem spirituales, æternam & temporalem (§. 47. 52.).

§. LIV.

Dum autem mors animæ absolute spectata impossibilis est, quia spiritus ens simplex est (§. 34.), homo autem tamen morti spirituali obnoxius est (§. 47.) anima non potest non relative tantum mortua esse. Sed vita hominis spiritualis consistebat in viribus sufficientibus non impeditis ad tales actiones producendas, quæ naturæ ipsius spirituali convenientes sunt, i. e. ut Deum, leges divinas, cetera distincte & vivide cognoscat, bonumque semper

&

& constanter appetat (§. 47.) appetitibusque sensitivis non interviat, sed ut potius appetitus rationales in sensitivos dominarentur (§. 20.). Ergo vita sua spirituali homo privatur, si vires ipsius non amplius sufficientes sunt ad tales actiones producendas, prouti natura ipsius spiritualis perfecta requirit; vel si in ipso principium reperitur, quod illum impedit, quo minus actiones naturæ spirituali perfecta convenientes producat, i. e. quo minus Deum, legesque divinas ceter. distincte & vivide cognoscere & ad bonum sese constanter inclinare possit (§. 47.). Quod fit, si homo representationibus & appetitionibus sensitivis interviat, rationalesque modo debito non excolit, sed potius sensitivis dominium super rationales confert. Sed cognitio ista de Deo legibusque divinis, pariter ac voluntas sancta constituiebant perfectionem intellectus & voluntatis hominum (§. 12. 22.), & imaginem divinam. Ergo si homo vita sua spirituali privatur, ille perdit perfectionem intellectus & voluntatis. Ergo & imaginem divinam. Et dum homini Deus sub conditione transgressionis legis comminatus est mortem (§. 46.) & spiritualem (§. 47.) & Deus pro iustitia sua infinita non pœnæ constitutionem tantum, sed & executionem vult (§. 53.), & homo legem actu transgressus est (§. 51.) sequitur, hominem per lapsum perfectionem suam intellectus & voluntatis i. e. imaginem divinam perdidisse.

§. LV.

Actiones protoplastorum post lapsum id uberius ostendunt. Ipsi enim statim post lapsum falsas de Deo alebant cogitationes, a facie ejus sese abscondentes Gen. III, 8., quo facto tamen in omniscientiam & omnipræsentiâ divinam peccabant, cum tamen antea cum Deo familiariter versati essent. Pariter eos nuditatis suæ pudebat, id quod documentum est motuum inordinatorum appetitus, & quod unusquisque in altero reprehensione quid dignum invenerit. Ergo primi homines per lapsum sese in statum talem animi redigebant, quo sine usu virium, quæ tamen sufficientes erant (§. 7.) agebant (§. 51.) & attentionem & reflexionem suam bonis veris, quam per officia erga Deum, semetipsos & posteros ob-

observare debebant, denegabant, & e contrario per usum sensuum illicitum ad bona apparentia sese inclinabant, appetituique sensitivo contra rationalem obtemperabant, quo facto eorum cognitio perfecta de bono vero non poterat non obscurari, & ipsi contra bonis apparentibus adimpleri; cum autem id perfectioni intellectus & voluntatis contrarium esset, non poterant protoplasti imagine divina jam non carere (§. 54).

§. LVI.

Sed homines per lapsum non solum spirituali morti obnoxii fiebant, sed etiam temporali (§. 53). Hinc Deus homines lapsos e paradiso expellebat, illisque arborem vitæ adminiculum immortalitatis respectu corporis obtinendæ eripiebat, ne de illa comederent, & contra comminationem divinam æternum viverent. Ex quo non poterat non corporis mortalitas sequi, sed mortem hanc temporalem quidem protoplasti non ipso lapsus die experiebantur, quia pro benedictione divina genus hominum propagandum erat, qua ex ratione Deus pœnam mortis homini denunciata per aliquod tempus differebat. Cum autem experientia mortem temporalem in homine satis testetur, non opus est, ut illam h. l. uberius demonstremus.

§. LVII.

Pariter homo etiam morti æternæ post lapsum obnoxius est (§. 53.) dum enim Deus ens infinitum omne peccatum pœna infinita punire debet, adeoque pœna vel intensive infinita, vel extensive infinita; Homo autem ens finitum propter intellectus sui limitationem pœnam intensive infinitam capere nequit: ipsi pœna extensive infinita i. e. ratione durationis est subeunda. Quoniam autem homo in hac vita pœnam durative infinitam sustinere nequit, quia ipsi est moriendum, ipsi pœna ista post hanc vitam est subeunda. Pœna autem est mors, privatio vitæ (§. 53.) & quidem spiritualis (§. 54.) sed quia anima immortalis est, & homines post resurrectionem corpora incorruptibilia & immortalia gerent: sequitur, hominem in æternum pœna ista mortis afflictum
iri,

in, sed hæc mors hominis spiritualis est jectura imaginis divine (§. 54.). Ergo pœna ista est privatio imaginis divine aeternæ.

§. LVIII.

S. Scriptura ipsa testatur, homines post lapsum morti factos esse obnoxios, & quidem 1) Temporalis Gen. III, 19. per corporis in pulverem conversionem subeunda. Ex quo ergo dissolutio corporis in terram i. e. mors temporalis satis patet. Sed Paulus id quoque affirmat Rom. V, 12. Per unum hominem peccatum in mundum introit, & per peccatum mors, & in omnes homines mors pervasit, ex quo universalitas mortis temporalis satis elucet. conf. Hebr. IX, 27. 2) Spiritualis, sc. privationi perfectionis intellectus & voluntatis, sc. imaginis divine strictius dictæ (§. 54.) Eph. IV. 22-24. ubi Paulus dicit: renovemini spiritu mentis vestræ induentes novum hominem secundum Deum creatum in vera justitia & sanctitate, ubi notio renovationis, perfectionis voluntatis, involvit, eandem in homine olim quidem adfuisse, sed non amplius adesse, sed potius perditam esse (§. 23), conf. Coloss. III, 10. ubi eodem modo Paulus vult, ut renovemur ad cognitionem perfectam (§. 13.). Ergo & illa quidem adfuit, sed nunc perditam est, id quod Deus ipse testatur Gen. VI, 5. coll. Cap. VIII, 21. Deus videbat, malitiam hominis in terra augescere, omnemque productionem representationum in homine esse depravatam, ac ab infantia prima ipsi inesse hanc corruptionem, id quod perfecto intellectui sanctæque hominis voluntati contrarium est (§. 20.). Ergo dum hominis malitia crescebat, cogitationesque ipsius depravatae erant, ille tamen in cognitione boni & inclinatione erga bonum crescere obligatus erat (§. 15.), & cogitationes ipsius vividæ erant (§. 8.), sanctæque voluntate in statu integritatis instructus erat (§. 17.): sequitur, hominem hisce perfectionibus & hinc imagine divina esse privatum, seu ipsum morti spirituali factum esse obnoxium (§. 54.) id quod S. Scriptura mortem in lapsibus & peccatis Eph. II, 1-5. appellat. conf. Coloss. III, 3. 3) Aeternæ Rom. VI, 21-23. ubi ex oppositione vitæ aeternæ per mortem, mors aeterna intelligenda est (§. 57.).

E

§. LIX

Satis ergo patet, imaginem divinam esse perditam, sed status noster praesens ipse testari potest; nos non amplius perfectione intellectus & voluntatis aequae ac corporis s. immortalitate corporis gaudere, quibus tamen homo in statu integritatis instructus erat; ita ut ille viribus sufficientibus polleret, ad illam continuo servandam (§. 12. 22. 36.). Quicumque enim mortalium suae ipsius vitae actiones omnes ad regulas legis vel naturalis vel revelatae serio & sine adulatione exacte examinat; ille non poterit non fatetur se eam sapissime transgressum esse; & cum Deus sub conditione transgressionis legis mortem hominibus comminatus est, se morti obnoxium esse; & perfectionibus tam intellectus quam voluntatis carere (§. 47. 54.). Et contrario se investigatione tandem operosa cognitionem de Deo, & bono & malo acquirere; nec se se constanter ad bonum inclinare; multo autem magis ad malum, id quod perfectionibus intellectus & voluntatis in statu hominum primo omnino contrarium est (§. 7.). Ergo ex statu nostro praesenti ipso patet, imaginem divinam in homine esse perditam.

§. LX.

Sed nec homini possibile erat; post lapsum imaginem divinam retinere; cum enim homo legem transgrederetur, vires suas alias sufficientes illegitimo modo adhibebat; cum tamen continuo in perfectione sua crescere debebat; & e contrario perfectionem suam per lapsum negligebat; de quo non poterat non homo statum suum imperfectum reddere; quem tamen perfectum reddere debebat (§. 3.), si vero Deus lapsum hominis non statim punivisset ipsa jactura imaginis divinae; sane homo actus legi contrarios repetiturus fuisset; quia credidisset, sermonem diaboli esse verum; (§. 51.) & Deum esse mendacem & invidum; quo homo poenam suam multiplicaturus fuisset; quia Deus nullum peccatum sine poena relinquere potest. Ergo homo tam per peccatum continuatum sine poena per hypothesein remissum; quam per peccatum unicum contra perfectionem suam sibi habitualiter concreatam egisset; & statum suum imperfectum reddidisset; quia ex judiciis de bono maloque falsis promittitudo ad malum oritur sub falsa boni specie;

cie; quo decore cum in utroque, intellectu perfecto & voluntate, homo non uteretur, & hoc perfectioni hominum contrarium esset (§. 51. 3. 4.); Imago autem divina inter alia etiam involveret, ut homo se semper perfectiorem redderet, homo autem actiones perfectioni ipsius promovendae contrarias produceret: impossibile erat, ut homo imaginem divinam retineret, quia semet ipsum privabat.

§. LXI. Sed dantur quidam, qui produnt: Quod imago divina per nostram assertionem perditam cum fine divino non conveniat, qui postulet, ut homines deum colant, suamque & aliorum perfectionem promoveant & quidem actu, & summo hominibus possibili gradu. Sed, si homo imagine divina esset privatus, ille fini divino convenienter agere non posset; ergo si Deus homines imagine divina privasset, ut ipsum legitimo modo colere, suamque & aliorum perfectionem promovere non possent: Deus contra finem suum egisset: Quod Deo inconveniens esset; ergo assumunt, imaginem divinam non esse perditam.

§. LXII.

Sed cum luce jam clarius sit (§. 52. 53. 58. 59. 60.) partes imaginis divinae in nobis non amplius adesse, & hinc imaginem divinam esse perditam, ubertius disquiremus, num privatio imaginis divinae fini divino (§. 2. 3.) contraria sit. Concedimus quidem, finem divinum non eodem modo obtineri, quo in statu integritatis fuisset obtentus: tamen ille obtinetur. Dum enim in hoc mundo lapsus non poterat non evenire, & Deus illum praevidebat, Deus autem serio volebat, ut finis ipsius obtineretur: opus erat, ut Deus per sapientiam suam media convenientissima eligeret, quibus finis ipsius lapsu licet interveniente, in hoc mundo posset obtineri. Sed per lapsum ipsiusque consequentiam tam perfectiones divinae manifestantur, quam perfectionum hominum renovatio possibilis manet. Cum tamen si peccatum mansisset impunitum, sane honori divino aliquid fuisset detractum, quod iam per poenam restituitur. Per poenam enim justitia Dei manifestatur, sicuti per opus redemptionis bonitas, sanctitas, amor Dei cetera undiquaque elucent;

hac ratione etiam perfectio intellectus & voluntatis nobis restituitur. Ergo patet, utrumque finem divinum, jactura licet imaginis divinae ex lapsu orta, obtineri; imo cum hominibus lapsis ipsis etiam huius divino convenienter agitur, tam iis, quibus meritum Christi imputatur, quam illis, qui id contemnant, a quibus Deus poenam sumit, quo Deus iterum perfectionem iustitiae suae manifestat, ita ut nullo modo fini divino quid detrahatur. Sed dissentientes etiam nostram thesion corrumpunt: Non enim asseruimus, Deum homines imagine divina privasse, ut ipsum legitimo modo colere nequeant. Homines enim ipsi per lapsum imaginem divinam perdididerunt, illiusque causa ipsi sunt. Dum enim Deus hominibus vires ad finem obtinendum sufficientes donabat (§. 7.), homines autem hisce viribus non utebantur (§. 51.): cum tamen per usum virium legitimum imaginem divinam retinere poruissent, quia sufficientes erant; Usus autem & non usus virium istarum a libertate hominis pendeat (§. 18.): non usu virium autem, cognitio non poterat non obscurari, & voluntas sese ad malum inclinare (§. 60.). sequitur itaque, Deum hominem imagine divina non ideo privari sive, ut fini divino non convenienter agere possent, nam homo ipse causa jacturae imaginis divinae erat (§. 51.); sed Deus pro iustitia sua infinita nullum peccatum sine poena relinquere nequit, ergo homo ipse impedivit, quo minus finis divinus obtineri posset, uti deberet, qui tamen post lapsum per poenam divinam, uti demonstravimus, redit restituendo honori divino id, quod ipsi per lapsum detractum erat.

§. LXIII.

Sed porro obijciunt: si Deus hominem secundum imaginem suam creavit, ipsum autem statim illa privari passus est, Deus homini inutile aliquid concreavit, quia homo illa paucis tantum diebus gavissus est. Deus autem ens sapientissimum nihil inutile facit. Ergo imago divina periisse nequit. Sed creatio hominis secundum imaginem divinam non erat inutilis, sine illa enim Deus hominem non hominem creasset, & causa miseriae humanae foret, quod voluntari Dei sanctae contradicit, ille enim vult, ut homines ipsum colant (§. 2.) suamque & aliorum perfectionem promoveant

(§. 3.)

(§. 3.) & quidem actu (§. 4.). Sed hic finis divinus non poterat obtineri, nisi homo imagine divina polleret (per antea demonstrata), porro imago divina homini necessaria erat, quia alias homines causam miseriae suae non cognovissent. Et deinde patet necessitas hujus imaginis ex poena divina ipsa, ejusque comminatione: Quocumque die comederis, morieris, i. e.posito lapsu, ponitur mors i. e. privatio imaginis divinae. Ergo homines vita prius gavisifint, necesse est. Si autem tollitur vita hominum, antequam peccarent, & lapsus: etiam tollenda est mors, quia alias Deus imperfectiones hominum appetisset, si hominem statim miserum creasset, quod absurdum. Ergo ex hac inutilitate praesumpta concludi nequit, imaginem divinam non esse perditam, potius ex comminatione divina & justitia Dei infinita patet, illam esse perditam, licet homo illa paucis tantum diebus instructus fuerit (§. 52. 53.), quia ipse causa jacturae imaginis divinae erat (§. 51.).

§. LXIV.

Porro objicitur: S. Scripturam nusquam asserere, imaginem divinam esse perditam, e contrario hominem in statu praesenti adhuc in S. Scriptura vocari imaginem divinam. — Sed si dissentientes concedunt, perfectionem intellectus aequae ac voluntatis & immortalitatem corporis constituisse imaginem divinam: etiam ipsis concedendum est, quod in S. Scriptura asseratur, eam esse perditam. Conferatur: 1) de perfectione intellectus perdita Gen. III, 8. (§. 55.) Coloss. III, 10. (§. 58.) Gen. III, 10. 12. 13. ubi excusatio ista absurda peccati cum mendaciis mixta id satis edocet. Eph. IV, 18. I Cor. II, 14. 2) De perfectione voluntatis perdita, & lucta inter appetitus racionales & sensitivos orta (§. 20.) Gen. III, 7. (§. 55.) Eph. IV, 22-24. (§. 58.) 3) De morte corporis. Gen. III, 19. Rom. V, 12. si igitur essentialia imaginis divinae in homine non amplius reperiuntur: sequitur, illam esse perditam. Si vero homines etiam post lapsum secundum imaginem divinam creati vocantur in S. Scriptura. e. g. Jac. III, 9. Gen. IX, 6. hoc fit ampliative, ita ut homines a statu priori sic vocentur, uti e. g. caecus videbat. Vel hoc fit restrictive de imagine divina latiori sensu sumpta, quam homo qua talis perdere nequibat, quia ad essen-

virium humanarum ad bonum homini non competebar, necessa-
rio (§. 18.), sed actiones ipsius erant liberae, ergo & determinatio
virium ad bonum libera erat. **§. LXVI.** Cum conatus agendi in genere dicatur vis, ita conatus age-
di bonum ex motivis habitualibus ortus, constituit vires ad bonum
habituales, sicuti ille ex motivis rationis ortus, constituit vires
ad bonum naturales. Sed in statu integritatis homo cognitione
boni malique habituali instructus erat (§. 12.), quæ eidem motiva
ad bonum & contra malum suppeditabat, ergo & homo viribus
ad bonum habitualibus gavusus est. Sed post lapsum cognitio ha-
bitualis perdita est (§. 54.), ergo & vires ad bonum habituales per-
ditæ sunt. Ergo vires hominum relative imminutæ sunt (§. 65.).
Sed quia vires in se spectatæ perdi nequeunt, ergo nec faculta-
tes (§. 63.); nobis etiam, adhuc post lapsum facultas cognoscen-
di Deum, bonumque & malum, quæ nobis motiva ad bonum &
contra malum operationis sanæ suppeditare potest i. e. vires ad
bonum naturales absolute competunt.

§. LXVII. Sed quia illa cognitio rationis sanæ a nobis non colitur, ob-
orta pravitate nova; in omnibus contra per representationes
confusas de bonis apparentibus, & inde resultantem pravum ap-
petitum sensitivum suppressitur: vires etiam naturales ad bonum
in homine scilicet ad naturaliter bonas actiones sunt vel admodum im-
becilles, vel plane nullæ. Defectus enim in intellectu humano
est magnus, quia homines per lapsum sese in statum animi rede-
gerunt, quo appetitionibus sensitivis inserviunt, ita ut appetitus
rationales exerceri non possint. Ille autem, qui sensitiva tantum
curat, vires suas non adhibet ad consequendam veram cognitio-
nem de bonis veris, ex quo oritur defectus cognitionis de bonis
veris, & licet homo interdum bona vera sibi representare con-
tinetur, appetitus ipsius inordinati ipsi non permittunt, ut per de-

40 De Imagine divina in homine per lapsum perdita.

bitam attentionem & reflexionem ad distinctam & vividam cognitionem de bonis veris perveniat. Sed representationes sensitivæ bonorum apparentium obscurant illam de bonis veris. Cum igitur in intellectu magni dentur defectus, etiam in voluntate adsint defectus necesse est; quia appetitus representationibus semper conformes sunt, ergo in homine appetitus ad bona vera non amplius reperiuntur, quia homo potius sibi repræsentat bona apparentia. Ex quo patet, ipsum bona vera non appetere posse. Ergo in homine est defectus conformitatis facultatum inferiorum & superiorum, & hinc lucta perpetua, imo dominium inferiorum supra superiores, vel saltem licet homo cognitione quadam de bonis veris gaudeat, inclinationes voluntatis ad ea valde debiles sunt, quia appetitus sensitivi fortiores sunt.

Schol. Per bona vera intelligimus h. l. spiritualiter bona, quæ in respectu naturaliter bonorum proprie vera bona sunt. Spiritualiter bona homo appetere non potest, licet interdum naturaliter bona (§. 66.).

§. LXVIII.

Cum igitur hoc ex experientia satis patet, nos imagine divina esse privatos (§. 59.), sed tamen nobis qua hominibus essentiam adhuc competere necesse est (§. 65.): sequitur, in nobis adhuc vires naturales, licet imbecilles, locum habere (§. 67.), perfectione intellectus & voluntatis licet perdita (§. 56.).



AESTV.

44 De Imaginis ...

AESTVMATISSIMO DOCTISSIMOQUE

DISSERTATIONIS AVCTORI,

THEOD. IAC. DITMAR, BEROLINENSI,

IO. SALOM. SEMLER.

Non consuetudini, quae non est illaudata, sed praecipuo in TE amori hoc tribuo, quod & ipse istas literas publicae TVAE scriptioni adiungo: ut non solum de eo plane constet, a TE auctore ista omnia, uti sunt hic prodita, esse profecta, nullis meis lituris variata aut additamentis, quod satis commodum mihi isto tempore accidit, sed etiam, ut locum commodum inueniam, de vniuersa academicae vitae TVAE ratione pauca, vera tamen testificandi. Fuit enim ista TVA vita ita hic a TE transacta: ut optare sustineam, quam plurimos existere TVI imitatores; qui & vitae rationem sequantur, integerrimam atque sapientem, nec dei negligentes nec consilii interioris; & laudabilem frugiferamque diligentiam literarum studiis adhibeant. Non iam commemorare licet, quae in Ioachimico constitutus gymnasio, aliisque viris doctis & probis auctoribus, fundamenta olim ieceris: academica tantum exercitia atque improbos labores verbo designabo. Dedisti autem operam non solum recte imbibendis, quae a philosophia redeunt, doctrinis, logicae, Cel. WEBERO duce; Metaphysicae, ethices, iuris naturae, hermeneuticae vniuersalis, auctore Celeb. MEIERO; matheos applicatae, praeeunte Cel. EBERHARDO, ceteras enim eius

F

gene-

19
20
21
22
23
24
25
26
27
28
29
30
31
32
33
34



generis scientias Berolini iam adamasse videbaris: sed etiam con-
tinuum studium atque eximium contulisti ad illas partes, quibus
theologi informari praecipue solet persona. (Disciplinae enim for-
mam tradidit Beatus BAYMGARTENIVS praeceptor incomparabi-
lis, in iis, quae ad theologiam theticam, polemicam, hermeneuti-
cam, symbolicam, & moralem, pertinent; cuius & lectiones exe-
geticas in Pauli Epistolas ad Galatas, Philippenfes, Philemonem,
in antiquitates christianas, in historiae ecclesiasticae partem, & di-
ligenter & multo cum fructu audiisti. Nec minor fuit cura
comparandae eius facultatis, quae est ad intelligendum sacrum co-
dicem necessaria, praecipue usus celeb. STIEBRILIO, Magnifico
iam academiae Prorectore, in perlegendo N. T. hebraicisque Psal-
mis, & prophetis Iesaja, Ieremia, & minoribus; ut non comme-
morem, interfuisse TE etiam scholis meis in Ioannis epistolas, in
Salomonis Proverbia, Psalmos, & historiam ecclesiasticam. Qua-
re TVO iure gratulor, iam feliciter confectum academicum spati-
um, utque eadem propitii dei fretus benevolentia, bona omnia iam
TIBI quam ecclesiae non solum apprecor, sed etiam publice omi-
nor; utque solidum hoc gaudium Maxime Reuerendus Parcns,
quem, si tanti sit, a me salute plurima impertias rogo, diu gau-
deat, eiusdemque merita TV imitari atque in TE transferre ad-
iutore deo sustineas, enixe deum exoro. Iam feliciter redi, &
mei non immemor, vale. Dab. in regia Fridericiani d. XXI.
Septembr. 1616ccclvii.

CHRISTIANVS ADAMVS THEOPHILVS
OPONENS

Da ganz Europa fast auf Martis Schlachtfeld ist,
Wilst Du, Gelehrter Freund! Minervens Kampfplatz zieren
Und zeigen, wie auch Du ihr tapftrer Streiter bist;
Ich sehe Dich entfernt schon siegend triumphieren,
Ich winde Dir mit Lust bereits den Lorbeerkrantz,
Den Du durch seltenen Fleiß im Helicon erworben;
Die ihr die Musen liebt, seht meines Freundes Glantz,
Und spricht! Hat Dirmar wohl die edle Zeit verborben?
Lest



Leist sein gelehrtes Blat, worinnen Er euch zeigt,
 Ob Gottes Ebenbild sey durch den Fall verlohren?
 Ich sehe schon den Neid, wie er ganz seitwärts schleicht,
 Und selbst ihm Beyfall giebt. Mein Freund? es sey geschworen,
 Du solst mein Pilades zu allen Zeiten seyn.
 Du, Deiner Eltern Lust, Du, Sohn der Pierinnen,
 Wir werden uns nun bald hier an der Spree erfreun,
 Und dann die Süßigkeit der Freundschaft recht gewinnen.

A. F. C. Pötter,

Königl. Preuß. Auditeur von der Infanterie.

VIRO PRAENOBILISSIMO
 THEODOR. IACOBO DITMARO

AVCTORI
 DISSERTATIONIS HVIVS DOCTISSIMO

AMICO SVO LONGE SVAVISSIMO

S. P. D.

CHRISTIANVS ADAMVS THEBESIVS,

OPPONENS

TREPŌA-POMERANVS.

Ex quo mihi contigit, Amice, multo integerrime, adscribi TVORVM numero amicorum, nihil TVA mihi amicitia fuit gratius, nihil acceptius, nihilque dulcius. Atque haec quidem est causa, cur facere non potuerim, quin publicum, virtutumque TVARVM elegantiae debitum huius rei testimonium hodierno die perhiberem.
 Quid?

19

20

21

22

23

24

25

26

27

28

29

30

15

16

17

18

35

36

37

38

39

40

41

42

43

44

45

46

47

48

49

50

51



Quid? quod haec me eadem ratio usque eo perduxit, ut, licet vulnus, adhuc recens, idque quam vehementissimum, quod meo insinxit animo patris mei mors, opinione citius mihi accidens, vix dum sit non dicam percuratum, sed obligatum, tamen opponentis officia & partes, quantum est in me situm, suscipere non dubitarem. Et vero quae est occasio, praesenti accommodatior ad publice testificandum, me quidem TVAS mecum res secundas sane quam, pro eo ac debeo, communicare? Gratulor igitur TIBI, Amice perquam dilecte, quod academicis laboribus TVIS felicissime atque ex TVO pariter ac Parentum Propinquorumque TVORVM longe spectatissimorum voto etiam persunctus. Gratulor etiam TIBI de singulari quodam atque evidentissimo, quod hodie das publice, eruditionis TVAE, diligentiaeque in disciplinis sanctioribus adhibitae, documento. Gratulor denique TIBI honorem meritum, quem TE scio ex hac dissertatione, TVO ipse Marte non magis docte belleque conscripta, quam, ut iure mihi videor posse augurari, fortiter defensa, certo esse consecuturum. Quod reliquum est, ex animo vereque opto, ut iter, TIBI domum mox suscipiendum, felix atque incolumis conficias. Ego vero TIBI persuadeas velim, me, quamvis sim abs TE disiunctus, tamen DEO T. O. M. supplicare numquam destitutum esse, ut TE saluum semper seruet, TIBIQUE in omnibus, quae es in ecclesiae salutem atque emolumentum aliquando acturus, auxilio sit certo ac sufficienti. Perge, Amice multo Carissime, ut fecisti, me, si quo TVO me dignum iudices amore, amare, & vale quam beatissime. Dabam Halae

die XIX. Septembris A. O. R.

MDCCCLVII.

DIRO

* * * * *

45

V I R O
PRAENOBILISSIMO ATQVE DOCTISSIMO
DOMINO RESPONDENTI

S. P. D.
IOANNES ERASMVS EGERLAND

Gratulor mihi, & mirum quantum mihi gratulor, de splendida illa, quae se mihi obtulit, animi in TE mei significandi occasione. Nam tot tantaque studia, a TE TVISQUE a teneris in me profectu unguiculis, adeo me TIBI devinxerunt, ut gnauiter me esse oporteret impudentem, nisi quaevis arripere, TIBI TVISQUE, quantum VOBIS debeam, declarandi, animumque de iis probandi gratissimum. At nescio, utrum candido, an atro potius illo dies sit, notandus calculo, quo me sincerissimi amici amplexibus video ereptum. Sed iniurius omnino in TE, & in uniuersum orbem litterarium forem, si impedire vellem, quo minus largissimas, quae TVAM in his subselliis adhibitam expectant diligentiam, consequi possis messes, & si orbem litterarium tali diutius vellem orbatum ornamento. Supervacaneum plane foret in Dissertationis copiose, diserte, ornate & solide a TE conscriptae, nec e trivio desumtae vellem descendere laudes, & laudando de illius elegantia plus detrabere quam addere viderer, cum illa cuiuslibet bono probetur. Avolas iam a nobis, Amice Dulcissime, tristitia diffluentibus cum quasi praetereuntes TVAE amicitiae tantum videmur gustasse delicias; sed quod me adhuc multum consolatur, Virorum Doctissimorum punctis ornatus, & nostris omniumque bonorum votis prosequutus decedis. Praeclara sane vulneris ex TVO discessu concepti foret medicina, si me non prorsus indignum, quod fecisti, & absens TVO amore & benevolentia haud esses dedignaturus. Vale.

Dabam Halae a. d. XXII. Septembris. MDCCLVII.

Mon-



Monsieur

mon très bonoré Ami,

La part, que j'ai toujours prise a vos interets, l'amitié tendre, & l'estime pour vos merites m'obligent à vous temoigner aujourd'hui l'exces de ma joye à l'honneur, que vous allez de recevoir. Permettes moi, MONSIEUR, que je vous en donne un temoignage public. vous allez de vous acquerir des applaudissemens generaux d'une application continuelle aux études, & vous tracez dans cette journée si remarquable pour vous, à vos Compatriotes & à tous ceux, qui s'appliquent aux lettres, le chemin infaillible, qu'il faut choisir pour s'attirer une gloire solide, & être utile à sa Patrie. Je me donne l'honneur de vous en feliciter, comme le meilleur des amis, que j'aye au monde. Je vous ai déjà dit, que me touche de fort près tout ce, qui vous regarde, & que je suis de plus sensibles au commun contentement, qui vous revient. Juges donc, MONSIEUR, de la joye, que l'accroissement de tant de perfections, qui semblent se concentrer dans votre chere Personne, doit causer à un coeur, que vous ait tout à fait dévoué. Certainement vous n'en resterez pas, & il me semble, que je vous vois déjà couronné de recompenses de vos vertus & de vos travaux. Je vous souhaite avec toute sincerité imaginable une longue vie, accompagné d'une santé parfaite & durable pour parvenir au plus haut periode de felicité, ou la sagesse humaine puisse monter. J'espere, que ces lignes ne vous seront pas desagreables de la part d'une personne, qui cherche avec soin tous les moyens de vous convaincre, qu'il est avec le plus grand respect & verité du monde

Monsieur

Votre

à Halle ce 22 du mois Septembre
l'An 1757.


très-humble serviteur

FREDERIC GOTTLOB EGERLAND,
Etudiant en Droit.



VIII 3.30 3238
39

189.87
A. S. 6. 11.
A. 03.



gustanis illis comitis interfuimus, gratissimoque animo compositionem illam & pacem de rebus ad religionem atque finentibus, ibidem faciam. Vt ergo pietas nostra erga deum solenni ratione declaretur, d. d. XXX. Septembris producamos centes optimam spem de se praebentes, nobisque dilectissima verba huic tempori & loco accommodata facturos, hoc or-

VRITIVS AVGVSTVS de THVM-
MEL, eques Misn.

culo primo catechismi maioris in libris ecclesiae nostrae symboli-
deum patrem creatorem & conseruatorem tam omnium rerum,
n huius scholae nostrae canet ode Germ.

ROL. LVDOV. FRIDER. BETKENI-
S, Schmidebergensis Saxo,

am euangelico-Lutheranam de deo filio I. C. *Ἰεανθωπω*
o humani generis saluatore ex eiusdem catechismi articulo altero
bus hexametris eloquetur.

HRISTOPH. IOH. GOTTFR. HAY-
LANNVS, Portensis Misn.

eficiis atque effectis dei spiritus sancti, in ecclesia & scholis, ex art.
o aget. Latine.

OH. ADOLPH. GOTTLOB TRAVT-
WEIN, Schoenwerd. Misn.

am belli Schmalcaldici enarrabit. Latine.

V. CHRI-

